



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè explicantur.

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1647

De Inuitatorio. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9521

Romæ restituit, ex Rup. lib. 1. de diu. Offic. c. 3. non simpliciter, sed instituendo, ut diceretur etiam extra tempus Paschale, ut exponit Baronius, Augustinum citans in Psalm. 106. dum scribit de Damaso, anno 384. Erat enim in usu Ierosolymis ante Damasum, qui & Romæ eandem vocem ordinauerat; sed deinde fuerat omissa usque ad tempora Sancti Gregorij, qui eandem restituit.

7 Post Septuagesimam loco, *Alleluia*, dicitur, *Laus tibi Domine, &c.* ex Decreto Alexandri Secundi, ut ait auctor Gemmæ ann. lib. 4. cap. 117. titulo de Sancto Stephano, in postremis, verbis. Mutationis huius ratio est, ex Alcuin. c. de Septuages. quia conuenit humiliori tunc ut lingua, qualis est Latina comparata cum Hebræa.

De Inuitatorio. Cap. V.

1 **H**abetur *Inuitatorium* apud Amalar. lib. 4. c. 9. in quo, inquit communis Cœtus Fratrum, conuocat omnes degentes vndique, ut excitentur, & veniant ad confitendum Domino. De eodem Alcuinus ante Amal. dum causam reddit, cur Inuitatorium in die Epiphaniæ non dicatur.

2 Dicitur autem sexies integrè, intra Psalmum, *Venite*, & ter imperfectè, id est pro medietate eiusdem: quia aliqui perfectè, aliqui imperfectè inuitationem recipiunt. Senarius est perfectorum, qui constat vno, duobus, tribus. Imperfectorum numerus est illorum trium, qui Superbiæ, Auaritiæ, & Luxuriæ student. Dur. in Rat. lib. 5. cap. 3. Sexies item integrè, quia in sex ætatibus mundi inuitantur omnes ad Deum. Mich. Timot. in Spec. ordin. 4. p. tract. 6. c. 16.

3 Variatur pro Officij qualitate, & in Ferijs variari tradit Radul. prop. 15. quæ varietas concinnior est hodie, quam ante Pium V. tum in officio de tempore, tum de Sanctis.

4 Dominico die, de creatione; *Qui fecit nos*; quæ facta est primo dierum omnium. in reliquis diebus concordat Inuitatorium cum antiquis.

D. Barth. Gauant. Tom. II.

5 In die Epiphaniæ non dicitur, ex Alcuino cap. de Theophania, quia, inquit, Herodes inuitauit, & congregauit Scribas, ut scirent de Christo ad eum de occidendum; Vel quia Magi, inquit Hugo in Spec. c. 3. à nemine inuitati venerunt ad Christum; Vel quia Psalmus, *Venite*, dicitur eo die in nocturnis, neque bis in eodem officio dici Psalmus solet; Dur. lib. 6. cap. 16. & in tertio Nocturno Psalmus ille dicitur, quia tempore gratiæ inuitantur omnes ad Deum; non ita communiter in lege, & ante legem. Vnde frequens est repetitio verborum, *Venite adoremus eum*.

6 Non dicitur in triduo ante Pascha, ne inuitemur, sed potius per silentium detestemur pestiferum Iudæorum consilium, & conuentum eorum contra Christum. Præterea Apostoli tunc dispersi erant, qui alios ad Dominum inuitare consueuerant; Durand. lib. 6. c. 72.

7 Quando, & cur in Officio defunctorum dicatur, vel taceatur, dicemus vltima Sectione.

De Hymnis. Cap. I V.

1 **H**ymni Græcè, laudes Latine. Sunt enim cantus laudem continentis Dei. Aug. Psal. 72. ita ut hæc tria constituant Hymnum, Laus Dei Laus, & Cantus. Carmina quæcumque in laudem Dei Hymni vocantur ad Isid. lib. 1. de diu. offic. cap. 6.

2 Primus auctor David ex Isid. ibidem inter Græcos è nostris primus Hierotheus, & Nepos, apud Eusebium lib. 7. Hist. cap. 19. Deinde Hilarius è Latinis librum edidit Hymnorum Ecclesiasticorum, teste Hieron. de Script. Eccles. quem imitatus Ambrosius Hymnos populo componens persecutionem Iustinæ Augustæ rerum nouitate leniuit, ut scribit Vualast. de reb. Eccles. c. 25. & tunc in Ecclesia quoque cantari cœperunt. quamquam & Apostolicum inuentum fuisse, dicendum est, de quo Paul. Colos. 3. Ephes. 5. imò à Christo deduci potest, qui Hymno dicto, exiuit in montem Oliueti. Math. 26.

D 3 3 Cas-